

Indictumque, novumque, nova, ac indicta placere

Quippe puto vacuas missa per auriculas,

Præsertim si naturæ e penetralibus ipsis

Eruta Apollinea luce nitere queant,

Musæi ac veluti mellis contacta liquore

Lectorum captos blanda tenere animos,

Patritium in primis, qui me complexus amore

Meque, measque bonus respicit Aonidas.

Altius est terris (a) mi nunc iter, altius egit

Bellerophonteis artibus edomitus

Ales equus Pindi audentem trans & juga celsa,

Trans & Parnassi laurigeri nemora

Ventorum in sedes, terras unde arduus omnes

Subjectas prono lumine despiciam

Ipsæ regens celeri volitantem flamina currum,

Per liquidum ipse notans aera primus iter.

Nec Myniis adeo metuum contendere, nec me

Cretæus multo vincet honore faber,

Quamquam illi intactæ primi rabiem Amphitrites

Pacarint nemoris Peliaci trabibus;

Ille autem aligeras volucres imitatus ad arcem

Incolumi tandem venerit Euboicam,

Incolumis, non & felix. Tuus, Icare, casus

Heu! misero patri gaudia subripuit.

Cujus ut innantes plumas despexit in undis,

Æternum optavit pendere supplicium,

Hospite quod crebro flentem pro flavo Ariadnam

Adjuvit contra Pasiphaes sobolem.]

(a) Recte inquit sibi nunc esse iter terris altius, quum prius de Echus natura egerit, nunc vero de aëria navi acturus sit, quam P. Franciscus Lana non poetice minus, quam ingeniose adornavit.